



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quòd vsque ad extremum vitae diem orationes scribebat Constantinus.  
Cap. LV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

*Quòd vsque ad extremum vitæ dlem orationes scribebat Constantinus.*

CAP. LV.

**I**mperator autem vsque adeo mente rationisq̄ue viribus constabat, vt vsq; ad summâ senectutē pro consueto more orationes conscriberet, solitos cum amicis congressus faceret, & dignas homine Christiano disciplinas auditoribus suppeditaret. Assiduè etiam leges ferebat aliquando de rebus ciuilibus, aliquando de bellicis: omnia verò quæ ad vitam degendam essent necessaria mente & intelligentia cōprehendebat. Iam illud dignum sanè sempiterna memoria est, quòd cum eius extremus prope vitæ dies adesset, recitabat funebrem quandam orationem, eo ipso fere loco quo dicere consueuerat, in qua etiam multa disputabat perpetua oratione de animorum immortalitate, deq̄ue hiis qui vitam piè sancteq; egissent, & de præmiis quæ bonis & gratiis acceptisq; Deo hominibus apud ipsum Deum reposita essent: ad hæc etiam quem finem habituri essent, qui contrariam partem sequerentur, copiosa & longa oratione demonstrabat: impiorum euerfionem & interitum præsentiu auribus obiter inculcans. Hæc ille cum constanter & grauius contestaretur, ita visus est domesticos quosdam suos tangere, vt ex eis aliquis, qui sapiens haberi volebat, interrogatus, quid sibi videretur de imperatoris oratione: licet inuitus, responderet tamè: vera quidem illum sibi videri dicere, atq; adeo vehementer laudare, quæ contra numerosam deorum turbam ab imperatore disputata essent. Hæc ille cū familiaribus suis paulo ante mortem commentans, visus est genere hoc sermonis viam sibi ad meliorem vitam mollem atq; æquabilem præstruere.

*Quòd contra Persas exercitum educens adiunxerit sibi episcopos, simulq; tabernaculum, quasi quandam ecclesie effigiem construxit.*

CAP. LVI.

**S**imul illud etiam memoratu dignum, quòd hoc ipso fere tempore, cum de tumultu quodam barbarorum orientalium audiisset, hæc sibi postremam de illis victoriam reliquam esse affirmans, exercitum contra Persas educere prope-